

psalmodum per eum lectorum et cum hoc 19. psalmos primos. Praemittit etiam: Istum librum dedit Magister baynricus de oyta Sacre scripture doctor. Cui retribuatur deus premium eternum. Amen. Tabula incipit: Beatus uir qui non. Notandum quod adam triplici genere peccandi deliquit &c. continet graviora momenta in ipsa Lectura deinceps discutienda, sed non pertingit ultra Psalmum XLIX. Succedit prolixum Prooemium fol. 17. hujus initii: Exurge psalterium. Ps. 56. et 107. Re. p. et Domini. Quia scriptura libri psalmodum seu ipsum psalterium plus ceteris in ecclesiasticis officiis frequentatur, oportet ut ad ejus intelligentiam capeffendam cuiuslibet ecclesiastici viri animus uehementius accendatur &c. Post haec Περολεγόμενα Ps. I. expositio sic infit: Beatus &c. Hic primo secundum glossam considerandum est, quare isti psalmo non apponatur titulus &c. Finitur luculentus Tomus in initio Ps. XX. his verbis: 3^{uo} desiderium ad hoc ordinate passionis — —. Nec mirum; praeter Textum enim declarationem formantur et solvuntur Dubia e Theologia tam dogmatica, quam morali.

CXL.

U. 578

Codex ejusdem conditionis Folior. 230. continuat praecedentem Lecturam a Ps. XX. ad Ps. XXXIII. v. 16. et haec verba: *et cum credimus, quia est, et cum videbimus sicut est. Hec augustinus.*

CXLI.

Codex ejusdem conditionis Folior. 230. continuat praecedentem a Verbis citatis usque ad Ps. XLIII. v. 6. et Jobi verba: *et cuiusvis manus pugnet contra me — —*. In medio hoc Psalmo adhaesisse Nostrum, vix veri speciem habet; quousque tamen progressus, et an totum Psalterium emensus fuerit, qui labor illi IX. certe Tomos peperisset, mihi non liquet. Interea, quod superest, vastam Viri rerum theologiarum cognitionem commendat, digni sane, qui a Tritemio n. 687. Gymnasii Wienensis unicum decus et plantator a principio adpellatur. Gente nempe Friso cum Henrico de Hassia Parisiis evocatus anno 1384. strenuum Collegam suum, ut Viennam, ita et in tumulum commitatus est a. 1397. ut pluribus in Scriptt. Univ. P. I. p. 58.

CXLII.

Codex membraneus lat. Sec. R. 36 ut videtur, XI. Folior. nunc 84. f. min. caractere Langobardico minutiore, sed nitido exaratus, rubricis distinctus et olim Congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum feuerini et fossii (Sofii) videlicet Neapoli continet Scholia in Psalterium, quae tamen a Psalmo XLI. ad Ps. LXXXIX. excidere, ipso etiam Codice primoribus foliis non parum situ, mucoreque vitato. Thecae tergo inscriptum est recentiore manu: *Commentaria in Psal-*

Psalms charat. Longob. 1180. a tempo di Pietro Diacono. Ut vero Petrus hic Cassinensis ipse testetur Chron. Cass. L. IV. c. 68. scripsisse se Scholia in Vetus Testamentum, vivendo tamen annum supra dictum vix adtigit, Scripturaeque Langobardicae nitor major videtur, quam ut Seculo XII. tam prope finem spectanti adtribui possit. Neque vero inde magis Autorem horum Scholiorum indicare valeo, nisi is Petrus sit, consultis in cassum paene omnibus, quae in Psalterium literis consignata ad nos pervenere. Ut Lectori arbitrando locus sit, in Psalmum XIV. cujus Argumentum miniatum ita habet: Vox prophetae agentis per similitudinem. Quem admodum dux alicujus imperatoris videns exercitum domini sui congregatum interrogat dominum quis esset in militia ut tandem esset in aula. Eodem modo propheta videns multos convenire ad sacramenta ecclesiae interrogat dominum, quis esset hic in militia ut tandem requiescat in caelesti aula et propter hoc interrogat quia vult solvere. Psalmus ipse: Domine quis habitabit hic in tabernaculo tuo. i. in militia tua. i. in ecclesia tua. quis requiescet in monte sancto tuo. i. in christo? modo solum subaudis ille. Qui ingreditur sine macula. i. criminali peccato. et qui operatur iustitiam. Qui loquitur veritatem non solummodo in ore. sed etiam in corde. qui non egit dolum in lingua sua ad proximum. Non fecit proximo suo malum. et obprobrium non accepit adversus proximum

suum. Sed potius. Ad nichilum deductus est in conspectu ejus malignus. i. detractor. uel diabolus. timentes autem dominum glorificat. i. magnificat. Qui jurat proximo suo et non decipit. quia licet jurare in humanis actibus, sed non pejerare. qui pecuniam suam non dedit ad usuram. et munera super innocentem non accipit. ut nocentem faciat superiorem innocente. Qui facit haec non commovebitur in aeternum. i. ille erit hic in militia. et tandem in palatio. Ita Beda in hunc Psalm. Qui digne militabit in hoc tabernaculo, aeternaliter gaudebit in caelesti palatio, et Remigius Antissiod. Ille habitabit in tabernaculo, et post requiescet in palatio. Hos ergo Scriptores Sec. VIII. et IX. prae se habuisse videtur Scholiafies noster, cujus initium, ut dixi, situ evanuit, finis vero est: omnis spiritualitas sit vobis materia laudandi dominum. i. consideratione omnium spiritualium uirorum laudate dominum.

CXLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. E. 2. Folior. 264. 4. manu difficili, multisque literarum compendiis perscriptus, rubricis tamen enotatus, et olim oblatus Principi Eugenio de Sabaudia a Leibnitio continet Commentaria succincta in Psalterium, et reliqua Cantica Biblica cum Hymno Ambrosiano, Symboloque dicto Athanasii decerpta potissimum ex utraque Glossa et Nic. Lirani Postillis. Primis tamen 2. Foliis adscripta est Fabula